JACOBI JACOMETTI
DISSERTATIO RHETORICA
Ad Pronunciatum Ariſtotelis:

Rhetorica refertur ad judicium.

Lib. II. Rhet.



PATAVII CIƆIƆCCXXXIII.

Typis Seminarii.

Superiorum Permiſſu.

DICENTIBUS.

ETsi nata liberaliter & honeste ars dicendi, ut cetera omnes quæ appellantur ingenuæ: attamen non ita est nata, ut a cœtu hominum semota procul, quasi quædam pudica nurus, secreta in intima domus parte, conspectum multitudinis evitaret. Ipsi voluere parentes, ut pene prostaret, facilis aditu, & omnibus obvia, togato, tunicato, militi, pagano, remigi, bubulco: iret quocumque & quacumque exultim: neque autem jactantius iret, quam frequentia media; cum venditatione & ostentatione sui tanta nusquam, quanta in concilio celebri, conferto foro, concione æstuante, senatoria, forensis, concionalis; apta curiæ, apta subselliis, turbæ apta, ubique audita, ubique exaudita, ubique tanquam lena sui, blanda hominum conciliatrix, fingendarum voluntatum artifex, affabilitate, gravitate, sapientia, omnium & animorum & rerum in civitate domina potens. Hoc esse illam ingenio, & quare sit, Tullius docet: ceterarum, inquit, [a] *artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu atque in hominum more & sermone versatur: ut in ceteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disjunctum; in dicendo autem vitium vel maximum sit a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere. Sensus hic com-*


[a] de Orat.

munis, ad quem debeat dictio omnis accommodari, & intelligentia popularis, in quam oporteat dicentium industriam collimare, facit ut omnes sese huc immisceant, & putet quilibet sibi concessum judicare sententia sua. DISSERTATIO hæc, quam scriptam causa vestra, Viri Dicentes, dono vobis, speroque universo fore ordini non inutilem, spectat & tendit horsum, ut ostendat, quantumcumque jus tribuat & potestatem quantamlibet judicandi eloquentia, populo facta [a] & destinata, ut eum ducat & regat: non fas certe cuivis de populo esse, induere leonis exuvium, & larva judicis vos territare. Agite prospere.

[a] Arist. l.1. rhet.



Sem-



SEmper viſa res difficilis multique negotii, verba facere in cœtu hominum, ut accedere timide ſoleant dubitanterque etiam multa doctrina uſuque longo confirmati; cur ita viſa, cauſa non una eſt, illa in primis, quia ratio loquendi conventu frequenti, judicialem formam imitata, cogit pertimeſcere eadem fere, quæ rei citati, ſubituri judicium, pertimeſcunt. Metum hunc ipſa neceſſitate imperatum, inſuper leges rhetorum ſancivere, præcipientes, ut, ſi quempiam teneret fiducia tanta ſui, ut timere nollet, ſive etiam non poſſet; nihilominus timeret vel invitus, aut artis proditor haberetur. Ergo nugari libet? imo ipſum nugari & ineptire, quædam cata ſapientia eſt: ubi ſolicitudo, ſimulata juxta ac vera, facit dicentem amabilem laude pudoris, & opinio verecundiæ, quoquo modo collecta, vires addit eloquentiæ mirum quantum. Nam pro more ingenii humani comparatum & hic eſt, ut homines libenter ſentiant, & cum voluptate audiant, ſe illos eſſe, quorum conſpectum gravitatemque, tanquam cenſoriam notionem quamdam,

pallentes aliqui trementesque reformident. Aut ergo ignoramus, quæ ferat aura secunda provehatque famæ oratoriæ velificantem; aut unde commode adspirat, inde captanda: si, quos penes arbitrium est, ut vel disertus videare vel infans, hi plane intelligant, spem exitus omnem in sua maxime facilitate & lenitate collocatam; in studio autem, facultate & apparatu, quo quis veniat instructus & ornatus, tantam opem inesse, quantam inesse ipsi voluerint. Habeant id sane qui Auditores sedent, &, ultro nobis concedentibus, habeant: [a] *nam rhetorica refertur ad judicium*: quippe in causarum genere quolibet is, qui audit, judex est. Sicut autem apud judices, quorum in potestate est, acerbe vel humaniter decernere, non oratione omnia, non causæ momentis agi solent, sed plurima precibus, squalore, & sordibus; ut, quæ alibi fierent indecore, eadem adhibita ad subsellia judicum, sint identidem una salus periclitanti, non adhibita perniciem afferant, stante constantia pro vitæ culpa, & animo excelso pro crimine contempti judicii: item qui in multitudine dicturus est, hunc auditoribus, judicibus suis, honorem tribuat, ut, vitatis vitiis abominandis, confidentia, temeritate, improbitate, arrogantia, & solicitus surgat, & colore mutetur, & periculum intelligat: quæ si non accident, etiam simulanda erunt: monet Quintilianus [b] rhetorum summus. At enimvero, quando seu judicium appellamus conventum quemlibet auditorum, sive judicio simillimum; ac tanquam æstimatores & arbitros omnes

[a] Arist. l. 2. rhet.

[b] lib. 12. c. 5.

omnes habemus, quotquot adſunt oculis animiſque converſis in ſtantem unum, ſententiam laturi tabella libera, faventem vel adverſam: eſt profecto, eſt, quod & nos dari nobis, præſertim a bonis, neque ſpernentibus leges æquas, jure noſtro poſtulemus. Si enim judicia, rem in civitate graviſſimam, non attingunt promiſcue omnes, neque tractant temere, ſed rite & ordine delecti legibus judiciariis, ſeveriſſime conſtituentibus, ex quo genere hominum, qua ætate, quo cenſu, quales, & quam probatos deligi oporteat eos, qui in alios inquirant, capite, fortunis, dignitate laborantes: quidni videatur multo æquiſſimum, noſtros quoque judices non ante in album quaſi referri decuriarique, quam veluti a prætore jurato lectos in judices, optimum quemque, ad certas leges & determinatas virtutes ſedulo examinatos & expenſos? Quatuor ſunt potiſſimum, quæ communiter requiruntur in illo, qui judicium adminiſtret, ſine quibus idoneus judex non eſt: ut ſapiens ſit: ut prudens: ut procul ab amore vel odio: uſu tandem nonnullo exercitatus. Pleraque hæc auctore Platone.[a] Neque plura neque pauciora, ſed omnino totidem ſecum afferat, quicumque ſtatuat de aliena induſtria, deque aliena literatura ſententiam dicat. Sapientiam hic habeat: ſit prudenti ratione præditus: ſit animo affectus ut oportet: expertus etiam ſit: intercluſo ad munus difficillimum iis aditu, qui aut propter inſcitiam ignorant, quid deveniat in judicium; aut imprudenter triſtes ac rigidi, non funguntur officio judicis apti; aut

[a] Gorg. 12. de legib. 4. de rep. alibi.

quos non finit esse integros & incorruptos animus perturbatus; aut quibus denique, propter nunquam tentatam aleam hanc, objici non injuria potest: [a] carpere vel noli nostra, vel ede tua: verbo uno, longe summotis, si qui non prorsus tales sint, quales universos & singulos vos intueor, quos hæc maxime necessaria ornamenta collecta simul præbent judices cum omnibus, tum verendos mihi præcipue: sicubi autem non contingat habere vestri similes; næ ego, non seditiosus aliquis, deque turba homo turbulentorum, sed literati defensor populi custosque juris publici, voce quam contentissima excito in literaria republica Gracchos, Glaucias, Drusos, Cottas, alios curatores acres vehementesque rei judiciariæ, suasor rogatorque, ut ferant ad populum quamprimum de nova forma judiciorum; adimant potestatem prave utentibus, alioque transferant: & ad inflammandam compertis criminibus judicum præsentium invidiam, reos etiam omnium opinione damnatos comparo, quibus ob rem male judicatam diem dicant, anquirentes capitis.

[a] Mart. lib. 1. 92.

Sapientiam cum dico, non illam intelligo, quam qui teneat, hunc maxime, hunc vere sapientem nominamus, complexionem velutique congeriem exaggeratam omnium aut plurimarum disciplinarum, quæ sint in uno eodemque prorsus homine: hunc enim proprie & nominatim vocat Aristoteles: [b] & sapientem virum vult omnia scire, quoad ejus fieri possit, & quousque omnia scire fas est homini: eundem præterea

[b] Metaphy. 2. c. 2.

non

non facilia tantum ſcire, quæque in promptu ſunt & obvia paſſim; ſed difficillima, remotiſſima, & vulgo impervia, eaque ſic explicate, ut nihil addubitet; &, quod perfecte ſcientis indicium eſt, docere eadem alios poſſit, eorumque cauſas tradere & explanare. Longe vero minus ſapientiam ſignifico, quam Plato [a] ait congruere ſoli Deo: affirmatque unum Deum vere ſapientem eſſe, homines vero oportere dici philoſophos: idemque Ariſtoteles ſentit [b], laudans jure Simonidem, cujus eſt dictum: Sapientiam Deo relinquendam eſſe, non homini tribuendam. Non ago cum judicibus noſtris importune: non poſtulo, quæ non humanæ rationis virtus eſt: ago remiſſe: ne tantam quidem flagito, in hominem quanta cadit: libens ſino, non omnia ſcire judices, quæ ſcire tamen poſſunt homines: ſint diſciplinæ & facultates, in quibus ne ipſi quidem negant eſſe ſe hoſpites & peregrinos: largior plurima ignaviæ humanæ, aut ſi ignaviæ gravantur nomen, puſillis ingeniis plurima largior. Quin etiam ex doctrinarum comprehenſione latiſſima, unde ſapientia coaleſcit, ſi calleant perquam pauca, conniveo: nam me Plato [c] monet, qui, duo ſtudia, inquit, aut duas artes exacte exercere nulla propemodum valet mortalium indoles; neque rurſus aliam artem exercere per ſe valet, & alii aliam exercenti præeſſe. Verum, quid indulgeatur, ſaltem attendant; videantque, cum ipſis neſcire alia atque alia per nos liceat, quo adſtare debeant animo, an cæteri quidquam ignorent, judicaturi. Deficio ego quidem, in quo me

a Phædro.

b Procemio Metaphy.

c De Legib. 4.

notas; at eſt in quo deficere te, vel ego vel alii notant: latent me plura; at neque tibi patent omnia: qui autem reprehendat alios, in quo ipſe reprehenditur, hunc, non dicam judicem, ſed feras hominem? Oſtentas pulcra nomina mille: tu rhetor, tu poeta, tu ſcrutator naturæ, tu theologus, tu juriſperitus, tu, quod ſomnias, es: aſſenſere tui; cirratorum centum monſtraris digito; laudant congerrones; popellus ſtupet. Hoc excute totum, ſeu potius totum te excutiant illi, quibus cor eſt: quantulum eſt, o ſodes, aut ſi nimium familiariter te compello, quantulum eſt, o judex, quod intus habes? Sed neque id indignor, qui jam inſtitui neque omnia, neque multa in cenſoribus noſtris deſiderare. Pergo lentius agere. At videor audire: o iſte, qui patronum te profeſſus cauſæ communis, ſapientiam adhuc extenuas, prævaricaris: quare aut cede jure toto, aut perſequi aggreſſus, contende naviter. Ego vero neque prævaricator ſum: multum abeſt: & ſapientiam injungo, non ſubtiliſſimam illam quidem abſolutiſſimamque, quam nihilominus ſapientiam appellat [a] ingenii doctrinæque facile princeps; docetque, & Phidiam ſapientem lapidum ſculptorem; & Polycletum ſapientem ſtatuarum fictorem, & quemlibet in ea arte, cujus peritiſſimus eſt, ſapientem vocare nos, nihil aliud per ſapientem, quam artis virtutem ſignificantes: inde ab Homero [b] Margitem illum, inſigni ſtultitia nobilem, ineptiſſimum hominum, & inſulſiſſimum, dici fuiſſe, non foſſorem, non aratorem, non ſapientem ad aliquid. Caveo, ne ju-

a Ethi. l. 6. c. 7.

b in Marg. de quo Plato in Alcibi. poſter. & Hor.

dices

dices nostri Margites sint: vero eos carere sapientia, quam Plato [a] nominat *sapientiam ex parte*: saltem intelligant & comprehendant id quod judicant: ni parent, eos recuso; & subsortitione dignitati consilii causæque consulo. Quid enim magis contra morem, quid magis perverse fiat, quid cum periculo magis existimationis alienæ, quam si disceptent qui non percipiunt, decernant qui non cognoscunt, audiant qui non sentiunt ne illud quidem, quod audituri, disceptaturi, decreturi, grandi fortasse supercilio, convenerunt? Atqui, ut in iis, quæ veniunt sub aspectum, artis labore & imitationis ingenio assimulata, error accidit, si quis, quod videt, non novit, quid illud sit, neque potest rectum a pravo in pictura dijudicare; ut qui non habet cognitum corpus hominis, non figuram, membra, singulorum collocationem, colores, lineamenta, formam, quod sit animal, ignorabit; & inducet facile alius ad credendum, hominem esse simiam, si etiam simia ignota ei sit: sic in illis, quæ mente percipiuntur, falli eum ac decipi necesse est, qui non ante didicerit, quid illud sit, in quo se putat & prædicat verum cernere. Omnino ad rem nostram Aristotelis monitum [b]: quisque judicat bene quæ novit, eorumque est bonus judex. Fit attamen, Auditores, nescio quo malo morbo fit, ut, cum alibi, qui inscientiæ sibi conscii sunt, non audeant ferre judicium de rebus incompertis, ne risum debeant, audeant hic, & indocti doctique arrogent sibi passim, quantum volunt, in dicentes arbitrium. Cognitas

[a] in Theag. Theæt. Suid. in verbo σοφία.

[b] Eth. 1. c. 3.

tas alias artes qui non habet, ſilentio fatetur inſcitiam: coram medico tacet theologus: juriſperitus non vexat aſtrologum: cauſidicus de ventis non garrit in navitam: nihil centonario cum unguentario: tonſori nihil cum ſutore: peritis pax eſt ab imperitis: in miſerum vero dicentem hi omnes, & agmine facto opiliones, pollinctores, ſalſamentarii, balathrones, & ſi quid frugis infelicioris terra fundit. Quam vero faſtidioſe moroſeque ſuſpendunt omnia naſo! Non arridet inventio cæcis: diſpoſitionem vellicant tenebricoſi: non ſapit elocutio glandibus aſſuetis: contra ſtylum effutiunt, qui, diſperεam, ſi & quid ſtylus, & in quo ſtylus, & unde ſtylus, quæ explicantes ſolertiſſimi anguntur rhetores, iſti unquam intellexerunt, aut unquam intelligent, niſi maſſa informis & dura ferventi aheno impoſita recoquatur: quaſi autem homunculi nos ſciamus, quid ſit latine loqui; etiam latinitatem trutinantur, qui neque vigilias agitatas in ea comparanda oſtendere poſſunt, neque magiſtros commemorare, a quibus latine didicerint, neque libros exhibere, quos duces ſecuti ſint; niſi ſi fortaſſe male feriatos aliquos, rejecta præſegmina, meramque loquacitatem, ſordidam lutulentamque: in quod genus, tanquam publice noxium, ut novam quæſtionem decernant optimi reges, ſpe magna expectamus. Ergo, quo dixi modo, judices noſtri ſint ſapientes: at iidem, quo modo dicam, ſint prudentes.

Prudentiam non commentitiam, ante inauditam, aut hinc alienam excogito, ſed in omnibus judi-

judiciis pervagatam, longe celebrem, & a qua non recedant judices, nisi ab officio declinent, amabili nomine, rationem boni & æqui (imo ipsum judicium viri boni est & æqui) non ad severitatem & duritiem, sed ad humanitatem facilitatemque referentem omnia, infestam tristitiæ, acerbitati inimicam, proclivem ad benigne ignoscendum, clementerque veniam dandam. Hanc prudentiæ sive partem sive facultatem, multis explanat [a] is, quem docentem audire neminem unquam pœnituit: de quo mentio crebra vobis, viri consultissimi, doctissimi Professores, tradentes [b] tum ex Paulo, tum ex Ulpiano, tum ex Constantino Imperatore; in omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitatem spectandam esse: placere in omnibus rebus præcipuam esse curam æquitatis: judicem æquitatem rerum semper debere ante oculos habere. Quæ sive æquitas, sive prudentia humaniter interpretatur; judicat mansuete; multa sæpe condonat imbecillitate humana peccantibus, neque ubique irascitur: sunt delicta, quibus velit ignovisse: non maculis offenditur omnibus, quas aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura; quæ ita non potest undequaque vitium effugere, quantamcumque diligentiam adhibeat, ut non laboret interdum lapsa imprudenter aut viribus destituta. Quod si inducant animum nostri judices non probare, nisi quod cunctis partibus sit expletum; in quo autem desit aliquid, hunc fastidire & respuere: aut natio nostra est animosa supra vires, si confidat præstari ab se posse, quod post conditum

ge-

a Eth. 6. c. 11.

b ad l. in omnibus 91. D. de reg. Jur. l. placuit 8. C. de Judic. l. quod si Ephesi. D. de eo quod certo loco.

genus hominum nullus, quamvis in ſuo genere ſolertiſſimus, potuit unquam, ut perfectiſſime faceret omnia: aut ſi ab dicente id illi flagitant obſtinate, ut nunquam culpetur; immitius ipſi nobiſcum agunt, quam nos egerimus cum judicibus noſtris, dicta ſapientiæ lege, quæ tolerabilis eſſet. At enim, quod jure laudetur, nihil in eo poteſt arripi ad reprehendendum. Non inficior, ſi agatur ſummo jure. Sed, ut naſcimur homines, non qui nullis, ſed qui minimis urgetur, probatiſſimus eſt. Exigenti ſuperſtitioſe, nemo homo eſt factus ad unguem. Quod igitur Græcorum adagionibus circumfertur [a]: nil eſt hominum, quod carpere nequeas: &: felix per omnia nullus eſt mortalium: &: omnibus galeritis oportet criſtam ineſſe: &: omnibus malis punicis granum ineſt putre: id prope neceſſario uſuvenit in dicentibus. Quantumvis licet excellant, tamen ſuis veluti clauduntur finibus: feliciter aſſurgentes in pluribus, deficiunt in aliis: ad hanc uſque diem nullius eloquentia tam beata reperta eſt, quæ non potuerit eſſe beatior; cui ſi eſt quod deſit, ne beata quidem putanda eſt. Dulcis, friget exanguis; grandis, plerumque fatiſcit; ſummiſſa, vileſcit; elata, cothurnos interdum aptat infantibus; brevis, ſeſe implicat; numeroſa, redundat; mollem languor, invenuſtas virilem comitatur. Eſt [b] quod arguatur ubique etiam in illis, quos heroica vetuſtas apud omnem poſteritatem quaſi religione quadam conſecravit. Homerus, omnigenæ ſapientiæ fons, videtur quibuſdam delirus in multis. Demoſthenes,

[a] Ex Menan. apud Plutar. l. de Tranquil. animi: apud eundem in Timoleonte: & Laer. in Crat. & Ariſt. 2. rhet.

[b] Leon. Allat. de error. magn. Viror. in dic.

nes, pene lex orandi, quo ne Athenas quidem magis Atticas fuisse creditur, alicubi displicet portentosus & insolens: Platonem non puduit interdum esse hominem, visum, in Phædro certe, non divinum: eloquentiæ patrem Isocratem, in compositionis captando consensu sugillant, ut anxium frigide: Thucydides pusillus Tullio dictus, & obscurus: musa Attica, Xenophon non abit irreprehensus; cui oratio depressa, & multa narrata perperam objiciuntur: Herodotum, historiæ primum, traducunt, ut fabulosum & nugatorem: Halicarnasseum notant, ut in phrasi novanda audacem, perversum, & tortuosum. Criticos minime effugit, non dicam mussitantes, sed exagitantes insectantesque is, a quo ornatæ illustratæque doctrinæ omnes; tanquam capitalium criminum compertus, trioboli homo, alienorum sarcinator, rhapsodus putus, & id genus convicia si qua alia, proscissus laceratusque, Aristoteles. Non passi sunt incolumem (qualem quantumque, o Superi!) quem toti Græciæ opponimus, Tullium, alte eminentem omnibus, quoscumque tempora præterita protulere, & ventura proferent: namque & asiaticum, & tumidum, & fractum Calvus, & Brutus detexere: ne dicam eadem ferula vapulasse, quo illustriores, eo a plagosis petitos acrius, in suo utrumque genere principem, & Maronem, ut nullius ingenii minimæque doctrinæ, & Livium nostrum, ut verbosum in historia negligentemque: ut non longe abfuerit, narrat Tranquillus [a], quin ex omnibus bibliothecis scripta eorum & imagines

[a] in Calig.

Cæ-

Cæsar Caligula amoveret. Putare malint alii factum id contra hos, & plerosque cæteros livore quodam & rabie sæviendi, & debacchandi in literarum gloria celebres. Nullus repugno, modo confitentes habeam, quod tertium proposui; & invidiam, & simultatem & superbiam, & pestes istiusmodi alias, effodere judicibus oculos, judiciumque pervertere.

Odium, & amor submoveatur hinc. Qui enim vel malevolentia sit exulceratus, vel obtenebratus benevolentia, vel perturbatus impeditusque aliter; negat qui semper audiendus [a], posse hunc assequi veritatem, habere in consilio prudentiam, juris norma aliqua, & judicii formula judicare. Si ad laborem igitur incredibilem dicendi tolerabiliter: quis enim nitatur ad admirabile illud vix ulli concessum? si ad tantam morositatem delicatorum, quorum ad gustum ita condire, ut placeat omnibus, ne ille quidem poterit, qui apponat Athenæi [b] placentam, arte culinæ arcana confectam desudatamque; quam tamen hic ut frigidam, ut calidam hic, alius ut nimis dulcem contemnet: si, inquam, ad has difficultates & fastidia, cor accedat felle suffusum, & luridum inimicitia; ad postremum si factiosorum improbitas, & maledicentissimorum in sui dissimiles conjuratio, astu, & calumniis inter tribules sordidos accusatio composita, & domi ornata damnatio: si hæc; Terentianum [c] clamo, remque conclamo: actum est, ilicet, peristi. Hinc viris eloquentissimis exitus quidam non expectati; hinc illæ nunquam satis deploratæ que-

[a] Arist. rhe. 1.

[b] lib. 14. Deipno.

[c] Eunuch. Act. I. sc. 1.

querelæ: jacent ſtrenui, vincunt inertes: laudantur mali, boni deridentur: qui regnum meruit, eum fortuna deſtituit; immeritum evexit ad regnum hinnitus equi: auribus Jovis digna locutis barduli quidam palmam eripuere, quorum, ſi ſapimus, quæſo, chartas unctas mittamus Ilerdam. Invitus, quod ſequius ſit, de Græcia loquor, terra parente & altrice diſciplinarum, fertiliſſima virtutum, & qua nulla feracior & uberior documentorum: attamen, quod refero, haud boni exempli fuit. Aderat [a] Thebis dies, qua die, magno Græciæ conventu, quem res nova conciverat, delecti judices gloriam carminum Lyricorum aut Pindaro, aut Corinnæ adjudicarent. Vatem grandiloquum, profundum, ſublimem, neque ſolum, qualem nominant, [b] equitantem in verbis altis, ſed etiam nubium tractus æquantem ore magniloquo, vocarat in certamen muſca Lyrica. Tum ex compoſito itur in jus utrinque: rari & infrequentes Pindaro adſunt, quem, magnæ virtutis comes, premit invidia: verſa in Corinnam ſtudia ſunt: ſcitulæ, ætatulæ, comptæ lepidule, turmatim præſto ſunt toti de capſula, venuſtuli, barbatuli, etiam nugarum nondum obliti, bene barbati, pars civitatis deterior, ſed quæ vincit turba meliorem. Poetriam formoſulam circumfunduntur, circumſtipant, circumcurſant, pro oculiſſima trepidant, laborant, anguntur, ambiunt, prenſant, orant, adſtipulatores, ſubſcriptores, patroni, omnia, proci Corinnæ ſuæ. Incumbentem in ſe molem Pindarus excipit fultus ſe

[a] ex Proleg. in Pindar. editum a Schmi.

[b] ἱππεβάμονα ῥήματα ῥέοντα.

uno:

uno : incendit vires laudis amor, si Pindarus Corinnam, at pudor magis, si Pindarum Corinna superet. Jamque non mora, jussus primus, coram judicibus experitur. Quis satis eloquendo sit? Audissetis grandem, elatum, admirabilem spiritu, magnificentia, ornatu, rerum verborumque copia beatissimum. Sive deos, deorumque progeniem, reges canit timendos imperio, sive quos Elea palma evehit ad Deos, pugilem equitemve dicit; sive Diis amicum fas, justitiam pietatemque monet; sive bella impia cum Superis, & obrutum ruina queritur nefas; sive miseris inimica plorat & acerba fata mortalibus; seu vires, animumque, moresque aureos educit in astra: fervet [a] Pindarus, ritu fluminis, lapides adesos, stirpesque raptas, & pecus & domos volventis una, non sine montium clamore vicinæque sylvæ, cum fera diluvies quietos irritat amnes: terror æmulaturis, certum exitium æmulantibus. Æmula tamen stetit audacter Corinna contra, orsa ex adverso putidulum nescio quid. Poemation certe memorat Cœlius Rhodiginus [b] ex Corinnæ officina creditum, de pisce pompilo, quem nautæ existimant felem marinum, cujus mentio apud Plinium. [c] Quid autem prohibet ne opinemur, tunc etiam in certamine, & de pisce, & de turture, & de passerculo, & de calathis, & de florculis, & de corollis lusisse puellariter: ad apinas tricasque argutulam stridulamque, minutulas quasdam sententias, leves frigidasque figuras, balbis verbis, palatoque tenero sup-

[a] ex Hor. Ode 2. lib. 4.

[b] Lect. Ant. lib. 12. c. 12.

[c] lib. 9. cap. 29.

ſupplantatis, inani garrulitate fuiſſe locutam? Non abhorret a veriſimili, ſi quando memoria hæreret, interea dum tardantem expectat, aut ſuſpexiſſe lacunar, aut motu in numerum pertentaſſe pulpiti extrema, aut inſititios flavos ad calamiſtri leges exploraſſe, aut lænam hyacinthinam permulſiſſe, aut ineptiſſe aliter, modo faciei ſudorem linteo abſtergentem, modo nares purgantem, tum interdum onychem ſpeculantem: conjecturam ſequor haud vanam, Corinnam viſam dicere aliquid dum nihil diceret, publicam clepſydram feselliſſe: cum interea, quibus eſt aurea & animula, ſtrepunt ſecundo murmure; qui autem verum amant, juveneſque ſeneſque, non tenent magnos rhonchos, ſannamque ſonantem. Euge, o Pindare, euge: boni victoriam non dubiam gratulantur; laurumque Delphicam non votis, ſed voce ſpondent. Interea judicibus tabellæ dantur, nomen inſcribitur, feruntur, conjiciuntur in ſitulam, numerantur: præco renuntiat, incredibile dictu! Corinna vicit [a]. In cauſa judicii prope centumviralis, ab judicibus fortaſſe juratis, ſe caſte integreque judicaturos, ſi monſtra hæc: videatur magno Mureto minus novum, corruptiſſima ſæpe judicia ab animis depravatis amore vel odio nunc in hominem, nunc in gentem, profecta fuiſſe. Indignatur ille [b] quidem, extitiſſe duos viros Hiſpanos, cæteroqui & in primis eruditos, & ſcriptis editis nobiles, quorum alter Lucanum Virgilio, alter Martialem Catullo anteponere veritus non ſit, Hiſpanum ſuum utrum-

[a] Fuiſſe formoſiſſimâ ſcribit Pauſa. in Bœot. l. 9. De hac victor. vide Ælian. lib. 13. c. 25. Plut. de glor. Ath.

[b] Epiſt. ad Torqu. Bembum.

trumque; at in quo ſuccenſet, ipſe peccat, iniquior & maledicentior, quam oportet, in Martialem cenſor, homo Gallus. Ubinam gentium, obſecro, & propter ſtudium non favetur deterioribus, & propter odium non obtrectatur melioribus? ubi & pro Hiſpano Hiſpanus, & Gallus pro Gallo, & pro Italo non pugnat Italus, re pertinaciter geſta, ſine nullo graſſandi inimice, propeque hoſtiliter? Præter modum admirator ſuorum cum externorum contemptu Belga eſt: qui nobis aut objicit Alpes, ne tranſgrediamur, quaſi nihil jampridem ſit bonarum artium ex noſtra Italia, aut tranſgreſſos jubet ire tacitos, verecundos, elingues tanquam puerulos ad minitantem magiſtrum; unumque inclamat audiendum Scaligerum ſuum: quem ipſi turgidi ampullanteſque & natum ad miraculum & gloriam ævi ſui, & Auctorum [a] veterum genium, & regem literatorum, & numen literarum, & deorum genus, attoniti ſtupenteſque conſalutant, inflantes utrem. Judices etiam ita depravatos contaminatoſque repudiamus: aut jurent idem, quod Areopagitæ [b] præconis voce imperabant dicentibus, ſe ſibi imperaturos, ut in poſterum ſine affectibus. Pariter, atque rejecti hactenus, diſplicent rejiciendi, judices inexperti.

Uſu nullo exercitati, nullaque experientia præditi occupant injuſte locum judicis in dicentes. Cum in omni functione muneris, tum vero in judicio exercitationem uſumque requiri, conſtat ex Platone [c]: ut inexercitatus & inexpertus nihil poſſit obire laudabiliter, quin etiam mul-

[a] Lipſius paſſim, præſer. in Epiſt. ubi de Scaliger.

[b] ex Ariſt. rhet. ἄνευ παθῶν.

[c] 9. De repub.

multa errare necesse sit. Antiqua sunt hæc, & nemini ignota: quem tandem qualemque usum nostris auribus inculcas hic? illum, quo aliquando & tempestates expertus, & in periculosis versatus, & luctatus cum difficilibus, non hæc ignoret. Prodierit nonnunquam judex; vocem aliquo tempore ruperit; non domi semper latitarit, ferens ex tuto dicentibus leges. Bellum nunquam experti horrent faciem belli: at mihi inæstuat præcordiis mascula bilis in censores, lingua una in dicentes paratos, cætera ignavos: sicuti sustineo ægerrime, si qui, cum castra nunquam viderint, neque visuri fortasse sint, strenui modo in circulis ociosorum, interque patinas & pocula bellatores: tamen militandi rationem præscribunt in ipso martis discrimine constitutis, & discincti, crepidati, desides, proponunt signa ducibus, quæ sequantur; mittentesque in expeditionem, dicunt itinera, loca, & tempora: sta miles; perge miles; male hac, bene illac; hæc supera juga; trana flumina hæc; illam urbem oppugna, abstine hac; confllige; cane receptui; collige vasa: quidquid autem aliter atque ipsi, plerumque comessabundi, censuerunt, factum sit; imperatores, legatos, primipilos accusant; rodunt, vellicant illi, quos pertenuis armorum crepitus, & forte oblatus gladiorum fulgor, anhelos retroagit, & semianimes, ad latibula recursantes; tunc sentientes demum, esse ridiculos belli judices, qui nunquam ab umbra discessere. Hi tamen objecta periculi fuga, exprobrataque laboris inertia non absterriti,

riti ; nihilominus adſunt præſenti animo, & præfracte defendunt : ſe quidem talem aleam nunquam tentaſſe, ſolitos e terra ſpectare naufragia : ſic prima ætate, ſeu perverſitate temporum, ſeu parentum culpa, ſeu bonarum artium tædio fuiſſe inſtitutos, ut non putarent turpe neſcire : non vacaſſe ædepol, aut etiam non libuiſſe diutina docentium opera, longa ſtudiorum aſſiduitate, meditandi conſtanti mora, animum ſic informare, & mentem ita exacuere, ut facultatem ullam exercerent: veruntamen, quamvis infantiſſimos, varrones, rupices, & eouſque mutos, ut, ex M. Varronis proverbio, neque my facere audeant; ſciantque neque natare, neque literas : tamen jus inveteratum ſibi eſſe, juſte & legitime conceſſum, in poſſeſſione inviolata perpetuo retentos, poteſtatem in dicentem habere, & de ſexcentis judicare. Si percontere, de quibuſnam, per hominum fidem ? Vindicamus, ajunt, arbitrium examinandi, inquirendique ad amuſſim rhetorum, ponentium in magno diſcrimine hæc, etſi inobſervata ſapientibus, aut neglecta veluti frivola ; at quæ utique animadvertit, & ut gravia non condonat natio craſſa, anxia ad dicentem cuſtodiendum, & pluſquam lyncea ad rimandum, ſit ne vox hominis candida, anne fuſca; exilis, an clamoſa ; purgatæ fauces, an aſperiores; ecquid appareat ex cura & opera phonaſcorum : os ſpecioſum ſit, an invenuſtum: quæ ratio geſticulandi; uno ne digito, an duobus : quæ ſtandi forma ; utrum dextro porrecto pede, an ſiniſtro: rectius
in

in partem hanc, an in illam toga fluat: inquirere sagax, deceat ne iterum componi comam, turbatam sudario siccante frontem: sit ne in capillo barbave inconditum aliquid & inelegans, an omnia pulcre modulateque: curiosa attendere, an argute didicerit, dum dat in principio moram cogitationi, laticlavium concinnare, contemplari pyropum, caput mulcere digito, infringere articulos, simulare conatum, fateri solicitudinem suspiratione, solemnia scite perite-que facere ex artis [a] mysteriis reliqua. Non indebita sibi poscunt. Pronuntiationem dividunt artifices eloquentiæ in vocem, & gestum: vox ad auditum pertinet, gestus ad oculos. Audiunt autem, & vident brutæ animantes ipsæ; quanquam quod vident & audiunt, non intelligunt, quia rationis expertes. Quando non prorsus ratione carent judices hi; faceremus acerbe, si ne illud quidem, quod sedeat in auribus, & quod in oculis, non satis discernere, suspicaremur. Liberum ergo illis sit quærere & in hæc omnia; prætereaque & in pravum nasum, & in crura distorta, & in calvitium, & in gibberem, in laryngem siccam spumosamve, ravim, tussim, pituitam, excrementa, quibus dispiciendis judicandisque gloriantur unice. Sumant libertatem quantamcumque volunt, tantummodo, ne ultra crepidam: alioqui judices sunt, non solum abjiciendi, sed etiam ut abortivi porriciendi.

[a] ex Quin. lib. 10. c. 3.

Jam vero neque cum his, neque cum aliis judicibus nostris ante conveniet concordia bona, quam pure & sine fraude jurent in leges

judi-

judiciarias, imprecati sibi vehementem vim earum, si quod jurarint, non etiam faxint. Edimus jam perscriptas: non opus trinundino, ubi nihil populare promulgatur. Comitiis his, ipsum Amphictyonum consessum dignitate superantibus, in hæc verba rogamus: Viri literatissimi, sæpe subire soliti literarium judicium cum illa fortuna, quam vestri judices malint vos habere; velitis, jubeatis, nullam post hanc diem esse in vos potestatem insipientibus, inhumanis, contaminatis, inexpertis? velitis, jubeatis, qui ex hac die de numero vestrorum judicum convictus noxiæ fuerit, pœna damnari noxiæ pari: insipientem, & ita mente caligantem, ut quod audit, non magis sentiat, quam calo & cacula sambucæ modos, deportari in exilium ad Cimmerias tenebras: inhumanum, duro flagello castigantem errata, quibus æqui & boni parcere solent, radentemque usque ad vivam cutem, trudi ad inferna Rhadamanto assessorem: contaminatum & injustum, amore, vel odio aliave cupiditate corruptum, excoriari vivum, corioque detracto tribunal insterni, monimentum sessuris: in arenam qui nunquam descenderit, dumtaxat semel aut per viatorem arcessi, aut tergiversantem per lictorem rapi, & unco impacto pertrahi ad experiundum? Ite in suffragium: diribitores secernite. Centuriæ cunctæ, Uti rogas, jusserunt.